# Tractatus Contra Judeos :-

Queritur Utrum ex scripturis a iudeis receptis possit probari misterium
xpi in lege et prophetis promissum iam esse completum Et arguitur
primo quod non quia Iohannis v. dicit salvator iudeis Scrutamini scrip-
turas quia putatis in eis vitam eternam habere Et ille sunt que testimonium
perhibent de me Scripture vero in quibus iudei putant vitam eternam
habere ~~Et ille sunt que testimonium perhibent de~~ sunt ab eis recepte
Et salvatoris dictum videtur Ergo non nisi per eas possit probari misterium
xpi esse completum Hoc autem dicere est inconveniens ergo etc. In contrarium
autem arguitur quia multi iudei subtiles et ingeniosi et in scripturis
valde studiosi sunt mortui in Iudaismo quod non esset verisimile
si per scripturas ab eis receptas possit probari impletum iam esse misterium
xpi manifeste quia vidissent se in errasse Et recessissent ab er-
rore suo Respondendo hic sunt duo videnda Primum est que sunt
scripture a iudeis recepte Secundo utrum per eas sive per scripturas possit probari
efficaciter Circa primum primo sciendum quod libri canonici veteris testamenti
sunt ab eis recepti tamquam deo inspirante scripti Sunt autem in
universo xxii secundum antiquam computationem et xxiiii secundum modernam
quia lamentationes ieremie et liber ruth ponuntur pro duobus libris aliis
ieremie et iudicum separatis Dividunt autem ipsos duo legales scilicet quinque
libri moysi et sunt in primo ordine apud eos Alii vero dicuntur prophete
scilicet iosue iudicum samuel .i. primus et secundus regum malachim post tunc
et quartus regum ysayas ieremias Ezechiel liber xii prophetarum minorum
et isti sunt in secundo ordine Reliqui vero dicuntur agiographi .i. sancte
scripture et isti sunt libri psalmorum et parabolarum salomonis Iob eccle-
siastes canticorum ruth lamentationes ieremie hester daniel
esdras paralipomenon et isti sunt in tertio ordine Considerandum etiam
quod isti libri apud iudeos sunt multipliciter conscripti Uno modo pure hebraice
sicut primo dicti sunt sermone hebraico et litteris hebraicis Alio modo he-
braice sed non pure quia sermone caldaico et litteris hebraicis et cal-
daicum et hebraicum ydeomata propinqua sunt eadem enim lingua littera
conveniunt discrepent in figura tamen conveniunt in sono et voce ut dicit
beatus ieronimus in prologo galeato Et ideo unum ydeoma faciliter potest
sciri per alterum hoc ergo modo plures scripserunt veteris testamenti et maxime
ionathas filius oziel Cuius scriptura ita autentica est apud iudeos quod
nullus ausus fuit sibi contradicere propter quod in libris notabilibus iudeorum
ponitur hebraice puro in una columpna et caldaice scriptum ab ionatha

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1794/0303
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG